

H. SCHMITZ, S. J.

**Formicidae quaedam a cl. A. Stärcke
determinatae, quas in Lusitania collegit**

Separata da Revista **BROTÉRIA**
Série de Ciências Naturais
Vol. XIX (XLVI), Fasc. I—1950



L I S B O A
1 9 5 0

Formicidae quaedam a cl. A. Stärcke determinatae, quas in Lusitania collegit

H. SCHMITZ, S. J.

Praenotandum. Cum anno 1938 a R. P. A. LUISIER S. J. benigne invitatus a medio mense Februario ad extremum mensem Augustum in Lusitania commorarer, praeter alia insecta eorum locorum formicas collegi, non eo consilio, ut quam maximum numerum specierum data opera conquirerem, sed ut eas, quae mihi excurrenti vel sua sponte obviam factae vel facili negotio inventae essent, conservarem. Quarum partem tunc statim e Lusitania ad cl. Horatium Donisthorpe misi Londinium, in quorum numero, eo teste, erant *Iridomyrmex humilis* et *Colobopsis truncata*; majorem vero partem reliquam postea in Batavorum fines reversus cl. medico A. STÄRCKE, den Dolder habitanti, in myrmecologia perfecto viro, obtuli determinandam. Cui quidem etiam in praesentia gratias ago, quod id onus in se suscepit et binis litteris diebus 23·XII·1947 et 11·VII·1949 ad me datis, quas species diligenter examinando agnovisset, mecum humanissime communicavit. Idem permisit, ut illarum indicem conscriberem eumque praemisso prooemio edendum curarem.

Ex quo perspicuum est nomina quaedam et indicationes, quas vocant, novarum formarum, quae in hoc commentariolo occurrunt, solum cl. A. STÄRCKE auctorem habere.

Porro de locorum situ ac natura pauca dicenda sunt. Caldas da Saúde hic voco, non solum ipsum fundum collegii ejusdem nominis, quod ab urbe Oporto septentrionem versus fere 30 km. distat, sed loca quoque vicina ut Sande, Revolta, Quinta da Palmeira, deinde lucum quemdam propinquum, quercubus consitum, in territorio civitatis Vila Nova de Famalicão situm. Agrestibus his locis nec planis neque admodum clivosis, sed bene cultis, subest a meridie civitas Santo Tirso. Macieira de Cambra vicus est regionis editioris et ab urbe

Oporto meridiem et orientem versus magis remotae atque ad Lusitaniam mediam appropinquantis. A Macieira non longe abest Cepelos de Cambra, qui est transitus quidam montium satis altus in regione neglecta, arborum et paene herbarum non patiens, sed formicarum sub lapidibus nidis abundans.

Formicarum genera enumerabuntur in subfamilias distributa litterarum ordine. Nota: al. = alata, deal. = dealata, m. = miles, op. = operaria.

FORMICINAE

1. **CAMPONOTUS cruentatus**, ♀ deal., 1 microergates sub lapide. Macieira de Cambra, 2·VII·38. Item 1 larva.
Camponotus pilicornis Rog. var. **massiliensis** Forel, m., 4 op., 1 ♀ al. Macieira de Cambra, 2·VII·38.
Camponotus sp., 2 op. Hic incidit quaestio: **pilicornis massiliensis** an **lichtensteini**? Quod sine typis non est facile dijudicandum.
Camponotus ? **sylvaticus** Ol., op. Macieira de Cambra, 2·VII·38.
2. **CATAGLYPHIS albicans Rosenhaueri**, op. major et minor, Caldas da Saúde, 15·IV·38.
3. **COLOBOPSIS truncata** (v. praenotandum) parva colonia (10 op., 6 m.) in cecidio hymenopteri *Cynips tozae*, Caldas da Saúde, 3·V·38.
4. **FORMICA fusca pyrenaea** Bondroit. Faunae lusitanae nova subsp. Cepelos de Cambra, 3·VII·38.
Formica fusca pyrenaea var. **lusitanica**, nova var. 14 op., e quibus aliquae pilum unum in prothorace habent, pleraeque nullum; squama petioli satis crassa. Typus varietatis hujus: Macieira de Cambra, 30·VI·38. Eadem n. var. occurrit Caldas da Saúde 11·VI·38, 10 op., squama a latere visa aliquatenus hebetata. Item ibidem 20·IV·38 diversae op. et 1 pseudogyna, colore obscuriore minus languido, genis nigris.

Formica Gerardi Bondroit. Faunae lusitanae n. sp. Caldas da Saúde, 12·III·38, aliquot individua.

Formica subrufa. Singulae op. Caldas da Saúde et Macieira de Cambra.

Formica ? Tombeuri Bondr. Terra typica hujus speciei est Oporto.

Formica truncorum dusmeti Em. var. **frontalis** Santschi. Santo Tirso, in monte.

5. **LASIUS emarginatus** Latr. 5 perfecte et 5 imperfecte coloratae op., 10·VI·38, Caldas da Saúde.

Lasius ? flavus Fabr. ♀ deal. et 5 op. Cepelos de Cambra, in monte, sub lapide; ♀ (amissa) non exstat.

Lasius niger L. 1 ♂, 3 op. 2·VII·38, Macieira de Cambra.

6. **PLAGIOLEPIS** sp. 1 ♂, 1 op.

7. **PROFORMICA nasuta** Nyl. 1 op. minor, 29·IV·38, Caldas da Saúde. Puto hanc operariam neque ad var. **Ferreri** Bondr. neque ad var. **depilis** Santschi esse referendam.

DOLICHODERINAE

8. **DOLICHODERUS quadripunctatus**. Locis visitatis non rarus, praesertim in cecidiis **Cynipis tozae**, dum vel in quercubus pendent vel postquam ex arboribus humum deciderunt. Macieira de Cambra: Colonia cecidicola constans ex 1 ♀ deal., 62 ♂♂, 41 op., ovo, 2·VII·38; item ibidem 7 op., 1 ♂ in cecidio; Cepelos de Cambra: 5 op.; Caldas da Saúde 37 op., larvae et nymphae, ♀ non vidi, sed adest 1 op. abdomine subinflato; ibidem ♀ mortua cum duabus araneis in cecidio pendent in arbore 27·VIII·38.

9. **IRIDOMYRMEX humilis** (v. praenotandum). Haec formica «argentinensis» in Caldas da Saúde ut alibi in Lusitania non solum in domibus, sed ruri quoque frequens est et tam perniciosa, ut a gubernio publice impugnetur. In aedificiis multis locis praesens est non semper manifesto,

sed occulte tamquam speculandi causa; et cum inventum est aliquid, quod comedi possit, tum statim multa individua adsunt ab exploratricibus advocata. Ruri periculum est, ne ceterae formicarum species ab hac paulatim penitus depellantur neve excidantur.

MYRMICINAE

10. **APHAENOGASTER senilis** Mayr var. **lusitanica** nov. var. **Aphaenogaster gibbosa** var. **levior** Forel, Caldas da Saúde. **Aphaenogaster** sp. 2 ♂♂, 3 op. Capelos de Cambra, in monte + 836 m., 3.VII.38.
Aphaenogaster sp. ♀ al., 12 op. eodem loco et die.
11. **CREMATOGASTER scutellaris** var. **algerica**. In cecidio ramo alto arboris inhaerente ♀ deal., op., 8 larvae ± adultae, Caldas da Saúde. Item colonia numerosa in stirpe arboris, Quinta da Palmeira. Cum arbore percussa irritantur, cum aculeo etiam vesicam albi coloris e ventre exserunt.
Crematogaster sordidula var. op., Capelos de Cambra, 2.VII.38.
12. **LEPTOTHORAX**. Omnia exempla hujus generis in cecidiis exsiccatis hymenopteri *Cynips tozae*, quorum in quercetis Lusitaniae magna copia est, inventa sunt et ad duas species pertinent:
Leptothorax Nylanderi Nylanderi, ♀ deal., 4 op. 1 praenympha, 2.VII.38, Caldas da Saúde.
Leptothorax Nylanderi Nylanderi var. (*parvula*?) 3 op. Macieira de Cambra. Item ibidem op. etiam minores, atque adeo op. obscurioris coloris. Ejusdem varietatis ♀ deal., op., larvae 4.VI.38 apud Caldas da Saúde; item ♀ deal., 6 op., fossa epinotali paene nulla, colore flavo.
Leptothorax tuborum in specie F., 1 ♀ deal., 3 op., larvae, 4.VI.38, Caldas da Saúde; item ♀ deal., 34 op., 1 praenympha, ibidem eodem die.

- Leptothorax tuborum** var. **tozae** nova varietas; ♂♂, ♀♀, 8 op., Caldas da Saúde.
13. **MESSOR sanctus** Forel, forma ad var. **bouvieri** Bondr. transiens, sed **sancto** propinquior. 44 op., 3.VI.38, Caldas da Saúde.
14. **MYRMICA scabrinodis Rolandi** Bondr. 28 op., 3.VI.38 I. f 2,83; 2,83; 3,05; 3,16; 3,10. Angelus scapi etiam minus distinctus est quam in individuis topohylae meae, quae ex regione inter Lourdes et Luchon oriunda est.
15. **PHEIDOLE pallidula tristior** (nomen novum propter speciem **Ph. tristis**), vergens ad varietatem **cicatricosa** Stitz. 2 m., 8 op. 24.VII.38, Caldas da Saúde.
Pheidole pallidula vergens ad subsp. **tristior** (nov. nomen ut supra).
16. **TETRAMORIUM** sp., 2 op., individua parva, sordide brunnea, Macieira de Cambra, item 7 op., 3.VII.38, Cepelos de Cambra, in monte + 836 m.
Tetramorium ? **ruginodis** Stitz, op., Cepelos de Cambra, eodem die et loco.